Die XIX. Januarii.

IN FESTO SANCTI CATELLI

EPISCOPI, ET CONFESSORIS,

Præcipui Patroni Civitatis Caſtrimaris de Stabia,

Lectiones Secundi Nocturni.

A Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Benedicto XIII ſub die 13. Septembris 1727. approbatæ: & omnibus Sæcularibus, & Regularibus utriuſque Sexus, qui ad horas Canonicas tenentur in dicta Civitate, & Diæceſi in poſterum, ſub ritu duplici, conceſſæ.

ACCEDUNT LECTIONES

SECUNDI NOCTURNI

IN FESTO S. ANTONINI ABBATIS

Præcipui Patroni Surrentini.

Die XIV. Februarii.

Pro uſu Cleri prædictæ Civitatis, & Provinciæ Surrentinæ, a S. R. C., ſub die 16. Januarii 1677., reviſæ, & approbatæ.

NELI MDCCXXVIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Die XIX. Januarii.

IN FESTO SANCTI CATELLI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

In 1. *Noct. lect.* de com. Conf. Pont.

Fidelis ſermo &c.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

CATELLUS, Stabiarum Epiſcopus, ſummis virtutibus, quibus eſt evectus ad infulas, Eccleſiam ſibi creditam gubernavit. Inter eas effulſit rerum cæleſtium contemplationis amor; cui ut liberiùs inſerviret, Divum Antoninum Ordinis Sācti Benedicti Monachum, jamdudùm ſibi familiaritate devinctum, proſequutus eſt: Cum quo, inter vaſtas ſylvarum ſolitudines, ac prærupta montis Gauri juga, Deo vacaturus ſe ſe quandóque abdidit. Quorum vitam, moreſque, nocte concubiâ Archangelus Michael, utríque appárens, comprobavit; ipſis indícens excitári ſibi velle Sacellum, eâ montis in parte, ubi nuper cæreum ardentem aſpexerant. Cui quantócyus obtemperantes, Ædiculam ligneam, deindè ſolidâ fabricæ ſtructurâ conformárunt; cui ab Archangelo nomen fecérunt. Non multò poſt, excitáto Stabiis per iniquos viros veræ virtútis oſóres tumúltu, tot eum vexavêre calumniis, ut Romam, non ſinè dedécore, ac vi áccitus, carceri fuerit mancipatus: cujus incommoda, & ignominiam erecto, & hilari animo, & incomparabili patientiâ pertulit.

℞. Inveni David &c.

Lect. V.

SED non defuit Collegæ ſuo Divus Antonínus, nec Clienti Archangelus

Michael; quorum ope Pontifici Maximo compertum eſt, planúmque factum, Catellum, ut Joſèphum in carcere, nullâ ſceleris labe inquinátum, detinéri. Quapropter idem Summus Pontifex, non modo benígnè indúlſit, ut ad ſuam reverteretur Eccleſiam; ſed etiam honoribus auxit, ornavitque: Quumque Catello quidquid vellet datúrum ſpopondíſſet; nihil aliud petiit, quam tantam plumbi vim, quanta tegendo Archangeli Sacello eſſet ſatis. Quod facili negotio obtinuit. Horum conſcius, divinâ revelatione, Antonínus, óbvius ei, ad Pompejánum progreſſus, Stabias réducem perduxit: ubi tantâ eſt exceptus a bonis omnibus lætitiâ, quanto mærore fuerat abſtractus.

℞. Poſui adjutorium &c.

Lectio VI.

COlumnis marmóreis pariter ſibi a Pontifice donátis, cum Icone itidem marmorea, Templum Sancti Michaélis Archangeli ædificatum exornavit; & plumbeis laminis contexuit. Hìc Catellus affligtáre ſeſe, cruciáre, maceráre pérdius, ac pernox orationibus, ac ſacrificiis inténtus; nihil intéreà paſtorális ſollicitudinis intermittens; quum datum ſibi vitæ curſum abſolviſſet, in Domino obdormívit. Conſtructum ab eo Templum, magnâ vicinorum populorum frequentiâ venerátur. Catellum verò ipſum inter Tutelares Sanctos primum, ac præcipuum Stabienſes, ab hominum memoriâ cooptárunt: cujus præſentiſſimum auxilium in difficillimis tempóribus expêrti ſunt.

℞. Iſte eſt, qui ante Deũ &c.

In III. noct. Evang.

Homo peregre &c.

Die

Die XIV. Februarii.

IN FESTO
S. ANTONINI ABBATIS.

Duplex.

In I. *noct. lect.* de Com. Conf. non Pont.
Juſtus ſi morte &c.

In 2. Noct. *lect.* IV.

ANTONINUS Campaniæ Picentinorum Urbis honeſtis parentibus natus, abdicato ſæculi faſtu, S. Benedicti inſtitutum ſuſcepit; Stabias ad Catellum notæ Sanctitatis hominem, tunc temporis illius Urbis Antiſtitem ſe contulit: a quo per humanitèr exceptus, atque in Paſtorali officio Collega, & adjutor adhibitus, tanta eo in munere enituit Sanctimonia; ut omnibus eſſet admirationi. Priſtinæ verò ſolitudinis cupiditate ſuccenſus, aſperum ſeceſſit in montem; ubi vigiliis, jejuniis, cæleſtiumque rerum contemplationibus vacans, S. Michaelis Archangeli apparitione dignatus; ſacellum ejus in honorem extruxit.

℟. *Honeſtum &c.*

Lect. V.

FAmâ ſanctitatis longè, latèque diffusâ, Surrentini Cives enixis ab eo precibus contenderunt, ut eorum Civitatem adiret, quibus Antoninus, ut erat Dei, proximique charitate ferventiſſimus, annuens; Surrentum petiit; atque in Cœnobium Divo Agrippino Sacrum ſe recepit; cui poſteà Sanctiſſimè præfuit. Magna interim pietatis monimenta relinquens; Sacellum namque Divo Martino Turonenſi Epiſcopo dicatum erexit, ubi Dominicæ Paſſionis myſteria ſua manu inſculpſit in marmore; & complures verbo, exemploque ad meliorem

fru-

Digitized by Google

frugem reduxit. Annis demum, ac meritis plenus ad Dominum migravit Decimo Sexto Kalendas Martii.
℟. *Amavit &c.*

Lect. VI.

DEmortui Corpus miraculis clarum in mænibus Civitatis, uti juſſerat, honorificè conditum fuit; ut id argumentum eſſet, eventu non ſemel comprobatum, quám perenni monimento, præſentique patrocinio Urbem tuetur. Ideò Surrentini Cives obſtricti beneficiis Baſilicam ejus nomini poſuerunt; quò innumeri pietatis, & voti gratiâ, præſertim vindicati obſidione Dæmonum adventant; & Clerus, Populuſque Surrentinus quotannis frequenti ſupplicatione adeunt; S. Antoninum reliquos inter Tutelares Divos, ut præcipuum, apud Deum, Patronum gratâ Religione venerantes.
℟. *Iſte homo &c.*

In 3. noct. Evang. Ecce nos reliquimus omnia, *de com. Abbatum.*

VAA 1528508